

De pernionibus : theses ex anatomia et chirurgia, quas, Deo juvante, & praeside M. Petro-Mathurino Botentuit Langlois ... / tueri conabitur Marcus-Anna Poisson.

Contributors

Poisson, Marc Anne.
Botentuit Langlois, Pierre Mathurin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

[Paris] : Typis Michaelis Lambert, 1786.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tsytf6rc>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

34

DE PERNIONIBUS.

THESES

EX

ANATOMIA ET CHIRURGIA

*Quas, Deo juvante, & Praefide M. PETRO-MATHURINO
BOTENTUIT LANGLOIS, Scholarum Moderatore, antiquo
Scholæ Præcītæ Professore; tueri conabitur MARCUS-ANNA
POISSON, Constantiensis, præclaræ Artium Facultatis in almâ
Universitati Parisiensi Magister,*

*Die Sabbati 27 mensis Maii, anno 1786, à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam,*

P A R I S I I S ,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS:

PRO ACTU PUBLICO,

x t

MAGISTERII LAUREA.



*Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae
Collegii, necnon Academiae Typographi, viâ Cythareæ.*

M. D C C. L X X X V I.

записи обилья за


CHAPTER

二三

• 450 N.Y.A. 1. 1998-07270-A-25

卷之三

ALVANIA 298 24



DE PERNIONIBUS.

OMNI ferè sub cœli tractu vivit homo : pariter Zonæ torrentis æstus & Poli frigora patitur : alternas etiam hyemis æstatisque experitur vices, sed non semper absque graviori damno : ita enim fuit à Naturâ constitutus, ut melius longiusque in æquabili & mediâ inter utramque temperie viveret. Hinc seu nimio calore rarecant liquores & distendantur vasa, seu frigoris asperitate concrescentibus fluidis, iidem canales ingurgitantur, variis utique morbis patet à solâ aeris intemperie oriundis : licet enim variis artibus quas aut invenit aut excoquuit sagax industria, tempestatum inclemantium lenire didicerit, non ita tamen contra vim frigoris calorisque præmunitri potest, quin gravissima indè incurrat infortunia; ex quibus unum ubique obvium, *Perniones*, tractare aggressi, pauca quædam de Anatomia breviter præmittemus.

EX ANATOMIA,

CUNCTIS animalibus veluti propriam vestem accommodata.
A ij

vit benè provida rerum creatrix Natura, & ita amicè quibusdam consuluisse videtur, ut leviorem æstate, crassiorem hyeme amictum habeant. Cur igitur tenera illa mater nihil homini præter cutem dedit? Brutæ pecudes vestitæ nascuntur, nudus in lucem prodit homo. Ita-ne animalium Regem, terræ Dominum neglexerit? Non sanè: divinæ enim particulam auræ, rationem dedit, cuius face collustratus, varia contra cœli intemperiem munimenta excogitavit, ipsas etiam animalium exuvias in proprios convertit usus, & sic exquisitiorem tactum pro re natâ exercere potuit, dum cutis omnis alieni obicis expers, externa melius corpora interrogat; quod ut clarius constet, illius involucri textum exponemus.

Primo aspectu quadruplici partium ordine constare videtur cutis. Interior coriacea, cellulosa, fibrosa, densè stipata maximum cutis patrem constituit.

Indè veluti emergunt papillæ nerveæ, certo ordine in extremis digitis dispositæ, alibi indiscriminatim disseminatæ.

Innatant earum extremitates mucilagini superimpositæ, molli, diffluenti, calore concrecenti.

Exterior demùm prodit Epidermis seu cuticula, membrana tenuis, pellucida, squammata, sulcata, innumeris perforata poris, vasorum verò & nervorum expers.

Subjacentibus partibus adhæret cutis mediante textu cellulari, modò strictiori, modò laxiori, qui cum internâ corii facie confunditur; aut potius, quidquid de variâ cutis structurâ dictum fuerit, nihil aliud est fortasse quam ipsius textûs lamellæ plûs minûsve condensatæ, vasisque omnis generis irroratæ. Id probare videtur Leucophlegmatia: hoc enim in morbo ita relaxatur cutis aquâ sensim irrepente, ut in telam cellulofam tota ferè resolvatur: ut ut sit, commune corporis

50

involutum, organum tactus, & sensibilitatis exquisitissimæ
sedes habenda est.

Varia est ejus densitas mollitiesque pro ætate, sexu, vi-
vendi normâ, corporis temperie. In pueris, feminisqne nitida,
tenuis, lœvigate; in aliis scabra, durior & aspera. Non eadem
est in vultu & corpore, in pedibus manibusque. Attritu assi-
duo callescit & obdurescit, nitescit mollescitque lotione &
inunctione frequenti, vitatâque corporum duriorum con-
trectatione.

Vasa tûm arteriosa tûm venosa mutuantur à partibus suppo-
sitis, exigua quidem, sed numero propè infinita: vulnus enim
vel levissimum infligi nequit, quin statim plus minusve san-
guinis exeat: exquisitâ etiam sensibilitate pro nervorum numero
gaudet, ut patet ex ejus lœsionibus, accidentibusque indè
otiundis. Eximia tamen illa sensibilitas, undè maxima inter-
dùm nascuntur mala, inter preciosissima Naturæ beneficia annu-
meranda est: corporis sedula conservatrix, si quid ei nocere
minitetur, statim prudenti animam consilio monet, vigiles
circa nos excubias agit, & idem ille qui corpus enecat dolor,
assiduus corporis soter dici possit. Quantum abolito sensu sin-
gulo quoque momento periculum immineat docet peculiaris
illa paralysis, in quâ nervi tantum moventes adhuc vigent: idem
demonstrat vis frigoris extrema adurens membra, uti in fine
Programmati exponemus.

EX CHIRURGIA.

VARIA pro vario gradu mala extremis membris affert ni-
mio plus aductum frigus. In nostris regionibus, & simili sub
cœli tractu, leves ut plurimū inflammationes tantum procreat,

quæ Perniones (1) dicuntur ; in frigidioribus gangrænam sphacelumque producit.

Pernio definiri solet tumor inflammatorius rubens calensque, cum prætigine seu dolore pungenti, à frigore brumali in pedibus manibusque (2) præsertim excitatus, qui sæpè in fissuras & ulcerationes abit.

Frigore lentescit, spissescit, stagnatque lympha, tum comprimuntur venæ, hinc rubor eresipelatodes; postea inflammatio omnem cutis textum, cellulosam telam, adipemque occupat, & adeat phlegmone; demùm ex nimiliūm ingurgitatis vasis manat serum, epidermidem decorticat, turgent vesiculæ, quibus ruptis ulcus adeat.

Hinc triplex Pernionum status: vel enim sunt eresipelatodes, vel phlegmonodes, vel in rimas scissurasque dehiscunt. Differunt etiam, quod aliæ subinde enascantur, aliæ subhyemem quotannis recurrent; modò pedes solùm, modò manus duntaxat, modò utrosque aggrediuntur: sunt tandem aliæ simplices, & levem tantum partibus afferunt noxam: aliæ

(1) Multiplex apud Auctores occurrit Pernionum etymologia: alii nomen deducunt à pernicie quam membris hoc morbo laborantibus affeunt, secundum hoc Macri distichon:

*Esse pedum dicunt vitium, cui Pernio nomen
Est à pernicie membra patientis idipsum.*

Alii per contractionem quasi pterniones à voce græcâ πτερνη calx, aut à verbo *perna*, quod aliquando pro calcaneo sumitur. Græcis χείμελος dicitur à χεῖμα. Vid. Marc. Aur. Sev. Blanc., Castell. Lex. &c.

(2) In frigidissimis regionibus extremum nasum, mentum, auricularum lobos, & alias quæcumque prominent partes, ut carpum cubitumque, aggrediuntur Perniones: nullis enim eminentibus & extremis corporis partibus parcit hoc genus ulcerulorum. Marc. Aur. Sev. p. 486.

complicatae, & gravissima inde nascuntur mala, ut altè penetrans exulceratio, ossium caries, gangræna, sphacelus.

Ideò autem prominentes corporis partes præcipue infestant, cum quia lentior in iis sit sanguinis circuitus, utpote longius à corde distantibus, minùsque sanguinis impulsui obviis, tūm etiam quia magis frigore corripitantur. Nec tamen sufficit vis insolens brumæ; certa etiam requiritur corporis dispositio, certa humorum temperies quæ huic faveat morbo; non enim omnes promiscuè, licet eundem frigoris perpetuantur gradum, Pernionibus laborant. Qui calidiori sicciorique donantur temperamento, quibus fibrosa firmaque cutis natura, & usu indurata; quibus lymphæ tenuior, acrier, falsior, maximè repellunt hoc malum; contrà, qui laxiori, molliori, debiliori gaudent partium contextu. Hinc in pueris feminisque frequentius, in viris & adultis rariùs occurrunt. Sunt etiam qui præ corporis temperie, & naturali humorum influxu ita patiant huic noxæ, ut, licet frigus cautè vitaverint, licet mitior bruma contigerit, Perniones nihilominus experiantur.

Ex dictis hactenùs obvia patet Pernionum diagnosis, & facile ab omni alio morbo distingui poterunt, si ad ea attendatur quæ in definitione retulimus. Mali igitur naturam indicabit grata primùm prurigo (1), quæ frictione in quemdam molestiæ sensum vertitur. Mox nascuntur puncturæ, dolores; tumet rubetque pars lœsa; aucto calore seu motu corporis

(1) Prutitus nihil est aliud quam levis nervosatum papillarum commotio, agitatio, succussus: primò fremitum ingratum adducit; frictione augeatur ille fremitus, crescit titillatio, & maxima quam capere possint organa, voluptas percipitur. Ulterius progrediatur frictio, nimis agitantur, succutuntur, conteruntur nervi, & voluptas in puncturam, in dolorē abit: adeò verum est fugitiyam esse voluptatem, & doleri quæ conterminam!

pruritus crescit, frigore dolor. Si ulcerantur Perniones, non ulceris, non pustulæ formam exhibent, sed rimis fissurisque dehiscit cutis ex quibus exit humor lympham viscosam saniem vereferens. Attende tandem prominentes tantum corporis partes, & eas duntaxat quæ gravius perpresso fuerint frigus, hoc morbo infestari; certissimamque habebis Pernionum diagnosis.

Periculum in Pernionibus plerumque ferè nullum: non nunquam tamen, licet ratiūs, funesta evadere possunt. Quod ut dignoscatur, sedulò videndum quænam sit natura morbi, quænam ægri temperies. Quandiu rubent tantum & tumescunt cum levi caloris dolorisque sensu, mitius malum: gravius, si rimæ dehiscant, & altior adsit exulceratio: periculosisimum verò, si subeat livor gangrenæ prænuntius, vel carie corrodantur ossa. Recentes facilè curantur, ægrè admodum quæcum hyeme quotannis redeunt. Pessimæ tandem judicandæ sunt, si numerosiores sint, totumque adeò infestent membrum; si asperiori aut diuturniori frigore pars læsa fuerit, si prava sit humorum dispositio, putà si scrophulis laboret æger.

Tam varia est auctorum de Pernionibus tractandis opinio, ut alia aliis omnino contraria prædicent remedia: quod quidem mirum non videbitur consideranti cuilibet: 1º. sæpè sponte suâ, nullâque adhibitâ curatione sanari Perniones, seu cessante causâ, seu mutatâ humorum *craſi*, ac proinde remediis immerito datum fuisse quod soli Naturæ debebatur, secundum fallax hoc & vulgo tritum axioma, *post hoc, ergo propter hoc.* 2º. Pro vario statu variam tentandam esse medellam, undè topica sibimet prorsus contraria pari successu interdùm admoveri possunt. Sedulò igitur consideranda venit Pernionum natura, ut sua cūque speciei propria curatio elegatur,

Cum semper multò satius sit futurum anteverttere morbum, quām præsenti medelam afferre, certè summopere ad id contendere debet Chirurgus, ut talem à pedibus manibusque avertat pestem. Quod ut obtineatur, primò vitandum sedulò frigus, ac præsertim caloris frigorisque alternæ vices fugiendæ; nempe si cales, ne subitò frigida adeas loca; si frigescis, ne propriùs statim ad ignem accedas. Udonibus digitalibusque utere lineis vel laneis aut etiam castoreis, aliquot spiritūs vini guttulis conspersis; raparum decocto manus pedesve immergendi, aut Petroleo sub hyemis adventum inungendi. Non semper autem ad arcendas Perniones hæ sufficiunt cautelæ: sunt enim qui difficilè admodùm, aut potiùs nullatenùs contra hoc præmuniuntur malum, ut, verbi gratiâ, qui Pernionibus à longo laborant; & quamvis sedula prophylaxis adhibita fuerit, nihilominùs suboriuntur. Sed etiam tūm duplici statu considerandæ veniunt; vel enim educuntur tantùm, vel in rimas dehiscunt. Primo casu admoventur resolventia, aromatica, qualia sunt decocta salviæ, Roris marini, Lavandulæ, Thymi, Rutæ, &c. lotio cum spiritu vini camphorato, aut salis ammoniaci solutione, balneūm in urinâ, in aquâ sale marino conspersâ, suffitus ex Cinnabare contrito, & in carbones ignitos conjecto, & alia.

Multùm quoque ad curationem confert, si partes læfas ad ignem (1) propriùs admoveris. Quantùm valeat vulgaris hæc medicina quotidiano comprobatur usu: calidis cineribus Perniones identidem imponuntur; paulò post decrescit tumor,

(1) *Perniones pertundere oportet, & calefacere ita ut quām maximè excalefacias igni & aquâ, ait Hipp.*

Pernionibus non adapertis &c quām maximè calidum quis pati potest admovendum præcepit. Corn. Cels.

flacessit cutis, malumque prorsus evanescit; nec tamen inexperto cuilibet hæc permittenda tractatio, & h̄ic, ut in omni alio casu dicemus, *abstine, si methodum nescis*: nam si gravior adsit inflammatio, ita ut gangrenæ periculum immineat; si tanta fuerit vis frigoris, ut omnino sistatur sanguinis circuitus, tunc longè alia curandi methodus admovenda, calidaque prorsus ableganda remedia.

Ubi diutiùs vel asperiùs sœvit hyems, si ii qui Pernionibus assiduè laborant acre frigus perpessi fuerint, si manus pedesve in frigidam frequenter immerserint, sœpè fit ut nimio sanguinis spissioris influxu ingurgitata rumpantur vasa, ulteriorisque distensionis impatiens cutis solvatur, ac rimæ dehiscant. Tunc plurimū valent fomenta ex naporum, cyclaminis, raparum decocto, sive ipsa potiùs raparum pulpa, ceratum simplex, album Rhasis, emplastrum cerussæ: & si altiùs extendatur ulceratio, ut alia quævis ulcera tractabuntur, vitatis cautè remediis emollientibus; corroboranda enim in hoc morbo, non laxanda cutis; quod constat temperie eorum qui huic morbo patent obnoxii.

Primaria autem per tractationem cura erit, ne frigus de novo perpetiantur ægri: frigus enim invitâ omni medelâ Perniones exasperat; nec ulla, quandiu frigori patet æger, speranda curatio; uti videre est in mercenariis mulieribus quæ linteal ad fluvium purgant, & aliis qui pariter frigore tentantur.

Est & aliud infortunii genus Pernionibus quasi propinquum, rarius apud nos, in Borealibus plagis frequentius, extremorum nempe membrorum congelatio; cuius hæc est Diagnosis: *A frigore pallor oritur, sequitur deinde rubedo, quam comitatur dolor punctionius molestissimus, vel pruritus magnus: rubedo dein augetur, in purpureum ferè colorem vergens; dein nigrescit*

*par^s sic affecta , & ad ossa usque vero sphacelo corrupta cadit , (1) si
perduret frigoris asperitas , aut ad ignem accedat æger
inſcius heu ! quantum ex subitâ & imprudenti calefactione ſibi
immineat mali . A diuturno enim frigore quaſi rigescens viator ,
ubi diverſorium attigit , ad focum advolare properat , ſenſu
jam carentia membra , ut putat , refocillaturus ; ſed liquores
frigore concreti & in rigida ſpicula conversi , ubi ſubito calore
admo^to moventur , in parietes vaforum impinguntur , ea ſpi-
culis hinc indè propulsis laedunt , meram ciunt gangrænam , &
pars cadit emortua . Quod ut vitetur , imminentis damni me-
mores illarum regionum incolæ , viatores à caminis prudenter
arcent , frigore correpta membra aut frigidâ conſpergunt , aut
nive diù perfricant , uſque dum paulatim illa ſolvantur ſpi-
cula , ſuuſque ſanguini circuitus ſenſim ac ſenſim reſti-
tuatur .*

(1) Vanswiet. Comment. in Aphor. Boerii.

